

et inertis ^{et} vulgi stulticiam, quum de ordine Clericali,
 religiosos plurimos et ecclesiasticarum dignitatum pre-
 latos. Que quidem pernicio et execranda societas velut
 zizania inter triticum in agrum ecclesie auctore dyabolo huma-
 ni generis inimico seminata ad instar male segetis subito pullu-
 lantis sub brevi temporis initio in tantam convaluit multi-
 tudinem, quod non erat civitas, non villa, non
 Municipium, ubi non consisteret in numero infinito congrega-
 tio eorundem. Disturbabant autem tumultum peregrinando
 quasi vota sua sub simulata penitencia solventes de loco ad
 locum, sanctorum reliquias et ecclesias frequentantes, deferen-
 tes ante se velut in aciem dispositi vexilla et insignia crucis
 Christi. Cum autem ad loca quo tendebant singuli cum suis
 turmis pervenissent, discalceabant se deponentes vestimenta
 sua, et a femore sursum toto corpore nudi, inferius vero
 usque ad talas lincis circumscripti, capita insuper sua pileis
 obtegentes, in atria ecclesiarum vel cimiteria et aliis civita-
 tum publicis locis faciebant processiones publicas cum
 gemitu et vociferatione, gestantes singuli in manibus fla-
 gella nodosa et aculeata, cum quibus usque ad effusionem
 sanguinis se ipsos singuli verberantes dorsa scapulas et
 brachia in ^o omnium aspectu crudeliter ~~verberabant~~ ^{ultra} ~~verberabant~~. Inde fa-
 cientes certas genuflectiones et brachia cum manibus ad
 celum levantes demum super pectora cum impetu ad

et inertis (cod. a) discalceabant (cod. b) in ^{suppl.}